



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendium Privilegiorum, Et Gratiarum Societatis Jesu

Pragae, Anno M.DCC.III.

VD18 13723553

E.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65423)

Domus probationis Societatis possunt habere redditus. Pius IV. 19. Augusti, 1561. confirmavit pag. 27. & Gregorius XIII. in sua Constitutione VIII. Kal. Julii, 1584. pag. 75.



DONATIONES.



Trùm donationes piæ commutari possint, ex uno usu in alium, vide verbo *Communitatio*. §. 3. & alia circa donationes, vide verbo *Bona*. §. 1. 4. & 6.



DUBIA.

Vide quæ dicuntur suprâ verbo *Declaratio*.



ECCLESIA.

§. I.

Facultas benedicendi, & consecrandi Ecclesias, & Cœmeteria.



Possunt Nostri facere benedici aut consecrari Ecclesias Societatis cum Cœmeteriis, & primum lapidem poni per quoscumque Episcopos, si Diocesani ul-
tra

muta.
pos-
ostis
ibus,
cum
a vi-
quæ
Vide
ultra-
n, vel
quod
erilium
verbo

s.
e pos-
eo ip-
æ, vel
tæ &
Vi.

tunt
omus

tra quatuor menses id facere distulerint, Paulus III. pag. 15. Idem quoad altaria consecranda concessit Honorius Minoribus, ut in eorum Mon. fol. 101. concess. 212.

§. 2.

*Facultas, & qualis, reconciliandi
Ecclesias.*

Possunt omnes Præpositi, ac Rectores, etiam aquâ per eos benedictâ, præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicientem per duas dietas adire non possunt, liberè & licitè reconciliare Nostras Ecclesias, Cœmeteria, & Oratoria, & eorum quodlibet, sanguinis seu seminis effusione, seu aliâ quomodolibet pollutas, seu polluta, quoribus opus fuerit. Concessit LEO X. præfatis Minoribus, ut habetur in eorum Supplem. fol. 16. pag. 2. & refertur in eorundem Compend. verbo *Benedicere*. §. 14.

Hæc facultas omnibus Superioribus communicatur.

§. 3.

Facultas corpora exhumandi.

Possunt omnes Præpositi ac Rectores, in suis Ecclesiis & Capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias sepulturas in eisdem Ecclesiis suis transferre de consensu illorum, quorum interest. Con-

cessit

cessit LEO X. Minoribus, ut in eorum Supplemen. fol. 58. pag. 2. concess. 162. adjuncto fol. 60. pag. primâ ante finem.

Hujus facultatis usus sit privatus tantum, non solemnus vel publicus.

S. 4.

Facultas transferendi, & mutandi Ecclesias.

Adveniente casu necessitatis, possunt Ecclesiæ Nostræ transferri & mutari de uno loco ad alium; & locus prioris Ecclesiæ reduci ad usus humanos secundum commoditatem dictorum locorum, & Collegiorum, seu Domorum; modò tamen materia ædificiorum ponatur in Ecclesia alia. Concessit LEO X. Vivæ vocis orac. Minor. ut habetur in eorum Supplem. fol. 92. pag. 2. concess. 277.

Hæc facultas communicatur omnibus Provincialibus: eâ tamen non utantur, nisi raro, & erectâ cruce.

S. 5.

Nostras Ecclesias aut loca infringentes, excommunicantur ipso facto.

Qui ausu temerario præsumserint Ecclesias, aut loca Nostra infringere, aut in illis violentiam damnabilem exercere, ipso facto incurrunt excommunicationem, à qua absolvi nequeunt, nisi per Sedem Apostolicam, vel per Conservatores ab

E

eadem

eadem Nostris aut Societati deputatos. Concessum est Franciscanis, ut in eorum Monum. fol. 105. concess. 226. & Dominicanis, ut in eorum privilegiis, fol. 55. pag. 1.

Quas indulgentias consequantur, qui Nostras Ecclesias, aut alia pia loca Societatis visitant, vide infra verbo *Indulgentia*. Vide etiam quod habetur verbo *Missa*. §. 2. & verbo *Immunitas*, & verbo *Benedicere*. §. 1.


ELEEMOSY-
NÆ.

Nobis eleemosynas prohibere conantes quibus poenis subjaceant.



Andatur Ordinariis, eorumque Vicariis, seu Officialibus, & Curatis, ac aliis quibuscumque, qui nē Christi fideles Nobis eleemosynas erogare præsumant, svadere, ac etiam sub censuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore, prædicare, seu prædicari facere, seu pronuciare præsumunt, ut ab hujusmodi persuasionibus, inhibitionibus, & mandatis omnino abstineant: persuadentesque, & inhibentes, & huic mandato

dato non curantes obtemperare, nisi pœnituerint, & persuasiones, & inhibitiones, & prædicta revocaverint, intrâ triduum postquam fuerint requisiti, eo ipso Ordinarii incurrunt interdictum ingressus Ecclesiæ, ac suspensionem à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum: inferiores verò ab eis, sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt. Concessit Sixtus IV. Minor. ut in eorum Monum. fol. 149. pag. 1. concess. 363.

Facultas requirendi, de qua in hoc §. communicatur Provincialibus, & iis, quibus ipsi commiserint.

Vide quod circa eleemosynas habetur verbo *Commutatio*. §. 4.

EMPHYTEUSIS.



AN emphyteutica bona possint Nobis donari, vide verbo *Bona*. §. 6. An, & quomodo possint bona Societatis dari in Emphyteusim, vide verbo *Alienatio*. §. secundo.

EUCHARISTIA.

§. 1.

Facultas Eucharistiam tenendi.

Potest Societas in suis Ecclesiis, decenter tamen, sacrosanctam Eucharistiam servare. PAULUS III. pag. 14.

§. 2.

Omnibus licet quocumque tempore Euchar. sumere à Nostris, Paschate excepto.

Omnes Christi fideles, quovis anni tempore, Rectorum Parochialium Ecclesiarum licentiâ minimè requisitâ, possunt à Nostris sacram Eucharistiam accipere, præterquam in festo Paschæ, Resurrectionis Dominicæ, & in mortis articulo, nisi necessitas urgeat. Paulus III. pag. 14.

Quamvis in Societatis Constitutionibus parte 7. cap. 4. D. exponatur festum Paschæ juxta communem consuetudinem, intelligi eam hebdomadam, quæ ipsam diem Resurrectionis præcedit, & simul eam, quæ subsequitur; excipi verò eos, quos jus ipsum excipit, nec non qui jam suis Parochiis satisfecerint; per privilegia tamen Minorum, aliorumque, restringi potest prædicta expositio ad ipsum diem Resurrectionis; juxta id, quod in §. sequenti dicitur: cuius quidem facultas, & hujus etiam §. communicatur omnibus Sacerdotibus. Numquam

quam tamen in alienis Ecclesiis sine licentia eorum, ad quos pertinet, hoc Sacramentum ministrabunt.

§. 3.

Etiam die Paschatis de licentia Parochi.

Possunt Nostri Sacerdotes ministrare Sacramentum Eucharistiæ omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Domini; imò etiam dicto die licebit; sed tunc non nisi accedente Rectoris Parochialis, aut Diocesani licentiâ. Habetur ex Bullis authenticis Nicolai V. & Sixti IV. pro Minoribus, ut in eorum Compendio V. Communicare. num. 4. & 5. Pauli III. pro Clericis Regularibus S. Pauli, dat. 8. Kal. Aug. 1535. Incipit: *Dudum felicitis*: est 5. hujus Pontificis in Bull. comm. in n. 7. & PII. IV. pro Minoribus, dat. 27. April. 1561. Incipit: *Ex clementi Sedis*: est 2. in Bull. Regul. & PII V. pro Mendicantibus dat. 7. Kal. Junii 1567. Incipit: *Etsi mendicantium*: est 41. in Bull. com. in n. 4. post primum §. 26.

§. 4.


Potest in Nostris Ecclesiis Sacramentum ministrari à Nostris, aliisque personis.

Possunt Nostri in nostris Ecclesiis ministrare, ac ministrari facere Sacramen-

tum Eucharistiæ quibuscumque personis, quoties opus fuerit. Concessit Julius II. Minimis, per Bullam dat. 5. Kal. Aug. 1506. Incipit: *Dudum*: est 10. in Bull. comm. in n. 39.

Communicatur Superioribus, & iis quibus ipsi commiserint.

Vide quæ habentur infra verbo *Sacramenta*, & supra verbo *Altare*.



EXCOMMUNI- CATIO.

§. 1.

Quomodo excommunicatio proferenda.



SI Præpositi aut Rectores sententiam excommunicationis in aliquem Nostræ Religionis in Congregatione, vel Communitate ferre velint, non tenentur eam scripto proferre, non obstante pœnâ juris. Habetur V. V. O. Leonis X. est 66. inter ejus Oracula in Bull. Regularium.

Si in aliquo casu opus esset hac facultate, quilibet Superior, qui excommunicare potest, eâ uti poterit.

§. 2.

In ab

*In absolute ab excommunicatione
non tenentur servare formam.*

Nostri Confessores, absolvendo in foro conscientiae excommunicatos, non tenentur servare formam, quae observatur in publicis absolutionibus, scilicet flagellationem cum Psalmo *Miserere mei*: Ex V. V. Orac: Leonis X. authenticatum Litteris sub plumbo, ut in Bull. Regul. inter ejus Oracula. n. 16.

§. 3.

*Nisi nominatim, Nostri non possunt
excommunicari, &c.*

NICOLAUS IV. noluit Fratres ligari aliquâ sententiâ excommunicationis, suspensionis, & interdicti, vel hominis, nisi nominatim fieret mentio: nec sufficeret, si diceret in sententia generali, ut perinde valeant, ac si essent nominati expressè. Habetur in Caeremoniali, seu Pontificali in Bibliotheca Vaticana.

Non liquet de fundamento hujus Privilegii.

§. 4.

Nostri non incurrunt excommunicationem &c. ob participationem in divinis cum excommunicatis.

Nostri propter participationem etiam in Divinis cum Excommunicatis, suspens-

E 4

sis, &

sis, & interdictis à jure, vel statutis Ordinariorum, nullam excommunicationis, seu censuræ, aut peccati maculam incurunt: nisi ipsi Excommunicati essent specialiter denunciati. Concessit Eugenius IV. Monachis S. Iustinæ per Bullam, dat. 30. Jun. 1426. Incipit. *Etsi quaslibet*: est 11. in Bull. Regul. in n. 17. & Iulius II. Olivetanis per Bullam, dat. 1. Jun. 1507. Incipit: *Etsi ad universos*: est 12. in Bull. comm. in n. 23.

A quibus Excommunicationibus Nostri possint absolvere, vide verbo Absolutio. Et an Nostri possint commorari in terris excommunicatorum, &c. vide verbo Hæretici. § 1. Vide etiam circa hoc verbum, qua habentur verbo Correctio. §. 2. & verbo Apostatae. §. 7. verbo Interdictum, ac verbo Prælati. §. 2.



EXEMPTIO.

§. 1.

Societas, ejusque bona eximantur ab Ordinariis, solique sedi Apost. subjiciuntur.



Societas, & universi illius Socii, ac personæ, illorumque bona quæcumque, ab omni Superioritate, jurisdictione, & cor-

& correctione Ordinariorum sunt exempta, ac libera, susceptaque sub Sedis Apostolicæ protectione. Paulus III. pag. 11. & idem corroboratur per Bullam à Clem. VI. pro Eremitanis dat. 14. Kal. Aug. Anno 6. Incipit: *Ad fructus uberes*: est 1. in Bull. Reg. & ab Eugenio IV. confirmante per suam Bullam alias Decessorum Bonifacii IX. & Martini V. ut in Comp. Minor. V. *Exemptio*. n. 15. 16. Iuxta quod tam personæ, quàm res Societatis eximuntur à jurisdictione quorumlibet Ordinariorum, & Prælatorum, ac personarum Ecclesiasticarum, ac in jus, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apostolicæ, & sub eorum speciali & immediata protectione suscipiuntur: ita quòd præfati Prælati, aut quævis alia persona, nequeat etiam ratione delicti, seu contractûs, vel rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, jurisdictionem quomodolibet exercere. Pariter qui sunt de Societate, per litteras Apostolicæ Sedis, aut Legatorum, seu Delegatorum ipsius, conveniri à quocumque minimè possunt, nisi hujusmodi Apostolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine Nostro expressam faciant mentionem. Concessit Clem. IV. Minoribus per Bullam, ut in eorum Comp. V. *Exemptio* n. 1. & V. *Conveniri in judicio*. n. 1. 2. & Sixtus IV.

per Bullam dat. 31. Aug. 1474. Incipit: *Regimini*: est 14. in Bull. Regul. n. 15. Idem Pontifex similibus litteris, eadem die expeditis, confirmavit hujusmodi Indultum Gregorii XI. pro Dominicanis. Habeturque in eodem Bull. Bullâ 33. Sixti IV. n. 17.

Quibus tamen casibus Tridentina Synodus nos Episcopis subjecerit, patet multis locis, ut sess. 5. c. 2. de Reform. sess. 6. cap. 3. de Reform. sess. 7. c. 7. § 14. de Reform. à versu Addendo § infra. Item sess. 23. c. 15. § sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. vers. Quòd si quis Parochus, § c. 2. de Reform. § ibidem cap. 4. versu Nullus. Item sess. 25. cap. 4. vers. Qui verò, § seq. § c. 11. § 13. quoad precedencias, § 14. ac 16. in fine de Regul. prater alia, qua suis locis in hoc Compendio nonnumquam reperientur.

§. 2.

Nostri post tria vota substantialia etiam simplicia, ab Ordinariis eximuntur.

Eos, qui in Societatem admissi, biennio probationis peracto, tria vota substantialia, tametsi simplicia emiserint, aut in futurum emittent, à quorumvis Ordinariorum, & Delegatorum, seu aliorum Iudicum jurisdictione omnino exemptos esse, habetur in Constitutione Gregorii XIII. pag. 78.

§. 3.

Noſtri ſinè Superioris conſenſu ad quodvis officium ſive exercitium, etiam à Cardinalibus, &c.

Nullus ex Religioſis, ſub Obedientia Societatis degentibus, à quibusvis quacumque Eccleſiaſtica, vel ſeculari dignitate ſeu auctoritate fungentibus, etiam ſi Cardinales ſint, vel Patriarchæ, Synodi, Communitates, Capitula, aut Officii hæreticæ pravitatis Inquiſitores, ac Commiſſarii, vel Iudices, tam ipſius Officii, quàm Ordinarii, vel Delegati, ad quodvis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum aliorum, abſque expreſſo ſui Superioris conſenſu, ac etiam mandato, adigi, vel cogi poteſt. Gregorius XIII. pag. 80.

Uſum huius Privilegii interdixit P. Claudius litteris, datis 20. Martii 1589. & Congr. V. Decr. 21. pro regionibus Tribunali Inquiſitionis Hispanica ſubjectis.

§. 4.

Non tenentur ſolvere Decimam, etiam Papalem.

De Domibus, ac Collegiis, & eorum prædiis, hortis, aliisque locis, quæ juxta Noſtrum Inſtitutum habere poſſumus; aut de iis, quæ pro eiſdem emendis, No-

bis pro tempore legari, aut donari contigerit; & denique de aliis bonis per Societatem, ejusque Collegia possessis, & obtentis, non tenemur solvere aliquam Decimam, etiam Papalem, seu Canonicam portionem exhibere, nec ad præstationem procurationum, aut exactionum, collectarum, vel provisionum quarumcumque; nec ad id etiam per litteras Apostolicas compelli, nisi ejusmodi litteræ de hoc indulto de verbo ad verbum, ac de Societate fecerint mentionem. Quòd si per Sedem Apostolicam ex piis legatis, dispositis, vel relictis, aliqua pars alteri piæ, vel non piæ causæ sit concessa, aut concedatur, Nostri, ac nostra, seu Nobis legata & relicta, aut aliàs in Nostrum favorem disposita, sub his concessionibus non comprehenduntur, nisi de Nobis, & hoc indulto, & Pontificis voluntate specifica fiat mentio in eisdem, & non per clausulas generales idem importantes. Paulus III.

§. 5.

Præcedentis paragraphi ampliatio per Gregor.

Ea quæ præcedenti §. sunt præscripta, cum specifica mentione Domuum Probationis confirmavit Pius IV. pag. 27. & seq. exemptionemque pro potiori cautela concedendo à quibusvis Decimis, etiam
Papa-

Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, subsidiis etiam caritativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, & inferiorum Principum instantiam impositis; & quamvis in ipsa impositione caveatur, quòd nulla prorsus exemptio cuiquam adversùs illa suffragetur. Idemque per omnia confirmavit Gregorius XIII. pag. 59. ubi quoad hoc derogat dispositioni cap. *Nuper.* de Decimis.

§. 6.

Eximuntur etiam à gabellis, &c.

Eadem exemptione, quoad pleraque ex dictis, gaudet Societas per privilegium Eugenii IV. concessum Monialibus S. Claræ; Habetur ex Bulla Eugenii IV. data Idib. Aug. 1439. Incipit: *Licet Romanus Pontifex*: est 29. in Bull. Regul. ubi & quoad gabellas expressè exemptio conceditur: habetque præfatum privilegium insignes clausulas, nè derogari possint. Habetur per Bullam Bonifacii VIII. datam 5. Non. Jun. anno 2. Incipit: *Laudabilis*: est 3. in Bull. Regul. Sixti IV. pro Carmelitis 1. Decemb. 1476. Incipit: *Dum attentata*: est 37. ibid. Clementis VII. pro Camaldulensibus, dat. 27. Jul. 1528.

Incipit: *Vestrum Ordinem*: est 23. in Bull. comm. & Pii V. pro omnibus Regularibus dat. 29. Jul. 1567. Incipit: *Dum ad uberes*: est 11. in Bull. comm. Similiter & quoad pleraque ex prædictis suffragatur aliud privilegium Bonificii IX. concessum Prædicatoribus per Bullam, datam 3. Kal. Maji. an. 3. Incipit: *Etsi pro cunctorum*: ut in eorum Privilegiis, impressis Romæ Anno 1670. p. 63. eamque confirmavit Martinus V. per Bullam, datam Ibid. Julii. A. 3. Incipit: *Ad summi Apostolatus*. ibip. p. 66. ubi expressè etiam eximuntur, nè pedagia, & telonea, & alias exactiones quibusvis Regibus, seu aliis personis Ecclesiasticis, vel secularibus solvere teneantur.

S. 7.

Eximuntur à quacumque collecta seu contributione, ratione personarum vel rerum, ad refectioem pontium, &c.

Per privilegium concessum Ordini S. Joannis Hierosolymitani, eximuntur etiam Nostri amplissimè à quacumque jurisdictione, & à quacumque collecta, seu contributione, ratione personarum, vel rerum, etiam ad refectioem pontium, fontium, furnorum, murorum, seu Ecclesiarum, etiamsi forsan eatenus per abusum, seu alterius privilegium, vel negligenti-

gligentiam, etiam per longissimum tempus taliter observatum non fuisset. Concessit Clemens VII. Militiæ S. Joannis Hierosolymitani: & confirmavit Pius IV. per Bullam datam 1. Julii 1560. Incipit: *Circumspecta*: est 9. in Bull. comm. in n. 37. & Pius V. pro Militia S. Lazari dat. 7. Kal. Febr. 1567. Incipit: *Sicuti bonus Agricola*: est ibid. 28. in n. 15.

§. 8.

Supradicta non possunt Nostris imponi à Regibus & Principibus.

Per Privilegium item Congregationis Canoniorum S. Salvatoris, definitum est, nè quis Rex, Principes, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Nobiles, Laici, Communitates, Universitates, Magistratus, Rectores, & Officiales Civitatum, Terrarum, Castrorum, & diocesium quorumcumque, nostris seu rebus, seu personis, audeant vel præsumant gabellas, talias, datia, collectas, etiam pro pontium refectionibus, aut viarum reparationibus, aliave onera seu gravamina inferre, indicare, vel imponere. aut indicta & imposita exigere, sub excommunicationis, & maledictionis æternæ pœnis: quas, nisi præsentium habitâ notitiâ prorsus destiterint, ipso facto incurrant. Habetur per Bullam Julii II. dat. 4. Non. April. 1512. Inci-

Incipit: *Inter ceteros*: est 30. in Bull. comm. in n. 37. & ejusdem Pontificis pro Olivetanis, dat. prid. Non. Junii. 1507.

Incipit: *Etsi ad universos*: est 12. ibid. in n. 25. & Leonis X. pro Camaldulensibus, dat 4. non. Julii, 1513. Incipit: *Etsi à Summo*: est 2. ibid. in n. 28.

Facultas, ut fiat dicta notificatio, communicatur Provincialibus, & iis quibus ipsi commiserint.

§. 9.

Imponentes ipso facto excommunicantur.

Per privilegium Minorum, de quo in eorum Compendio V. *Exactiones*. §. 1. imponentes angarias, vel alias impositiones, vel alia quævis damna Nostri, sunt excommunicati ipso facto: & si contumaces ab his non destiterint, à solo Papa possunt absolvi.

§. 10.

Nostri nō tenentur visitare, aut inquirere, vel Monialium curam suscipere.

Non tenentur Nostri, etiam per litteras Apostolicas, nisi de hoc indulto, & Societate expressam fecerint mentionem, Officium correctionis, seu visitationis, aut inquisitionis, Monasteriis, vel Ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere, vel procedere ad cognitiones causarum, citationes partium, & denuntiationes sententiarum

tiarum, interdicti, vel excommunicati-
onis: nec denique recipere curam Monia-
lium, seu quarumlibet personarum religio-
sarum. Paulus III. pag. 12. & seq. Nec
item cogi possunt ad audiendas Moniali-
um confessiones. Habetur per Bullam
Clem. IV. pro Minoribus dat. 12. Kal.
Aug. A. 1. Incipit: *Virtute conspicuos*:
est 4. in Bull. comm. in n. 14. & Sixti IV.
pro iisdem dat. 31. Aug. 1474. Inc: *Regi-
min*: est 14. ibid. in n. 16. & 38. & ejus-
dem Pontif. pro Carmelitis, dat. 1. Dec.
1476. Incipit: *Dum attenta*: est 37. ibid.
in n. 89. & Julii II. pro Minimis dat. 31.
Julii 1506. Incipit: *Virtute conspicuos*:
est 26. in Bull. Regul. in n. 12.

*Observandum nihilominus est circa hoc,
quod definitum est in Conc. Trid. sess. 25. c.
12. de Regul. §. 11.*

§. II.

*Non possunt cogi ad testimonium per-
hibendum.*

Nostri non tenentur jurare de calu-
mnia. Habetur per plures Bullas: Hono-
rii III. pro Carthusiensibus, dat. 5. Idus
Febr. A. 2. Incipit: *Cum dilecti Filii*: est
3. in Bull. comm. Eugenii IV. pro Mona-
chis Congr: S. Justinæ, dat. 30. Junii. 1436.
Incipit: *Regularem vitam*: est 9. in eodem
Bull. in n. 14. & Julii II. pro Olivetanis
eadem,

eadem, quæ supra in §. 8. sed in n. 24. & Leonis X. pro Camaldulensibus, ut supra §. 8. sed in n. 29.

§. 12.

Plures Nostrorum exemptiones.

Per privilegium EVGENII IV. concessum Monachis S. Justinæ, cogi non possumus ad hoc, ut in Nostris locis Missæ, aut alia divina celebrentur, Ordines conferantur, vel agitentur causæ civiles, seu criminales, processiones convocentur, aut Synodi, conventus, seu quævis congregationes tam Ecclesiasticarum, quàm laicarum personarum congregentur, seu quòd loca Nostra deputentur ad usum, hospitium, habitationem, detentionem, & incarcerationem Ecclesiasticarum, vel laicarum personarum. Et præsumens attentare contra omnia, aut aliquod prædictorum, cujuscumque conditionis, aut status sit, nisi factâ ei de hujusmodi indulto notitiâ destiterit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Habetur per Bullam ejus Pontificis, dat. 7. Kal. Martii 1434. Incipit: *Etsi ex debito*; est 2. in Bull. Regul. in n. 3.

Facultas notificandi, cujus in hoc §. fit mentio, communicatur Provincialibus, & iis, quibus ipsi commiserint.

§. 13.

Nostris

*Nostri non tenentur accedere Conci-
lia, & Synodos.*

Quando contingit fieri Concilia Gene-
ralia, Provincialia, seu Synodalia, etiam
Apostolicâ, aut quavis authoritate fir-
mata, seu quasvis Congregationes Eccle-
siasticarum, vel Laicarum Personarum,
cujusvis dignitatis, aut status existant; Præ-
lati Societatis seu ejus Personæ, ad ea ire,
seu mittere nullatenus compelli possunt,
etiam per litteras Apostolicas, specialem
mentionem non facientes de hoc Indulto.
Habetur per Bullam Eugenii IV. citatam
§. proximè superiori, sed in n. 2. & Julii
II. per Bullam, suprâ citatam §. 8. sed in
n. 24. Et Leonis X. ut suprâ, eodem §. 8.
sed in num. 26.

§. 14.

Eximuntur Nostri à solutione jurium.

Nostri exempti sunt à solutione Jurium,
etiam Synodaliû: à qua solutione exi-
muntur etiam Presbyteri, curam animarum
exercentes in Ecclesiis Societati unitis.
Concessum fuit Fratribus Hospitalis S. Io-
annis Hierosolymitani à Pio V. per Bul-
lam, datam 9. Novemb. 1568. Incipit:
Etsi cuncta: est 77. in Bullario commu-
ni. & Gregorii XIV. iisdem Fratribus, dat.
30. Aprilis 1591. Incipit: *Quanta Chri-
stiana Reipublica*: est §. ibid.

Vide

Vide verbo *Pralati*. §. 2. & verbo *Pro-
cessiones*; & verbo *Privilegia*. §. 11. & ver-
bo *Inquisitores*.

EXERCITIA
SPIRITUALIA.

Vide verbo: *Indulgentia*. §. 34.

EXTREMA
UNCTIO.


*Infirmis intrâ Nostras domos admini-
strari potest Extrema unctio.*



X Privilegio, concessio Cleri-
cis Regularibus, possunt No-
stri ministrare Sacramentum
Extremæ Unctionis, non so-
lum Sociis, sed & Mercenariis famulis
Operariis Societatis, & quibusvis hospi-
tibus, etiam secularibus, & extraneis,
quos in locis, vel habitationibus Societatis
tunc reperiri contigerit; etiam Dicecesā-
norum, & Sacerdotum Curatorum, aut ali-
orum quorumcumque licentiâ minimè re-
quisita: & in casu, quo non daretur spa-
tium petendi talem licentiā propter re-
pentinam necessitatem, etiam quibuscum-
que

que aliis Personis, intra, vel extra septa in mortis articulo constitutis. Habetur per Bullam PII V. dat. Idibus Februarii 1567. Incipit: *Ad immarcescibilem*, est 31. in Bull. comm. in n. 17.

Vide verbo *Familiars*; & verbo *Sacramenta*.



FAMILIARES.

§. I.

Quibus Nostri ministrare possint Sacramenta.



Prosumus administrare omnia Sacramenta iis omnibus, qui in Nostri morantur obsequiis, eosque in Nostri Cœmeteriis sepelire. Paulus III. pag. 11. Et per concessionem Martini V. pro Benedictinis. Habetur per Bullam, non authenticatam, ut in Comp. Min. V. *Familiars* n. 10.

Præter Confessionis & Eucharistia Sacramenta, familiaribus Extrema unctio poterit administrari, atque ad eò iis solis, qui in Domibus, Collegiis, Residentiis, & aliis locis Societatis habitaverint. Id etiam de sepultura intelligatur. Extra septa vero cum